

230 ELOGIA MEINWERCI.

die mensis Junij, quando Meinwercus vitâ humanâ exemptus est, Monasterij hujus Antistes in eadem casula summum peragit sacrum.

Hinc extant versus, qui, ut tunc ætas tulit, compositi, cistæ lignæ, quæ pallium custodit, præfixi sunt:

*Vestem, quam cernis, & præsens continet arca,*

*Meinwerci egregij Præfulis ipsa fuit.*

*Ut nobis veteres, C. ter, XLq., loquuntur,*

*Annis sic latuit corpus, & ipsa simul.*

Pallium autem hoc sacrum ex albo Damasceno confectum nostris, quibus hodie utimur, admodum dissimile est. Nam ante, & retro, & in utroque latere clausum, & integrum; infra amplum, rotundum, & apertum, ad imos pedes dimissum; supra foramen, per quod exerere sese hominis caput possit, habens. Fimbrias quoque habet, à fronte, & à tergo aureis litteris, verum exolescentibus, intextas.

Hujus B. Meinwerci corporis reliquias, & casulam præfatam, ex inferiori crypta ad superiorem chorum, Dominus Conradus ab Allenhausen, Abbas ordine vigesimus secundus, transferri fecit, a<sup>n</sup>o Domini MCCC. LXXVI. in festo S. Marci Evangelistæ. Tumbæ eminentiori ante annos aliquot fuit incisum tale distichon, ibidem in medio chori:

*Hic lapis ad speciem Meinwerci sculptus, eundem,*

*Plurima qui Christi fecit amore, tegit.*

*Gloria prima Deo, Matrique secunda Mariæ.*

VITA